

AUCTARIUM.

CONCIO I.

SUMME VENERANDA, ET CREBRO INVOCANDA SACRO-SANCTA TRINITAS.

- I. Quia ab ipsa creati sumus ad ejus imaginem. — II. Quia ab eadem conservamur et sustentamur. — III. Quia per ipsa reformari tres animæ nostræ potentia debent. — IV. Quia in nobis habitat velut in templo. — V. Quia ad vitæ cursum in cœlum dirigendum indigemus ejus auxilio. — VI. Quia velut cives cœli perpetuo eam laudabimus.

THEMA.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.
Matth. XXVIII.

Memorable est, quod referunt annales apud Baronium, anno 668. et Cuspinian. mortuo Constante imperatore successisse ei in imperio filium Constantinum cognomento Pogonatum seu barbatum. Qui cum haberet duos fratres natu minores, Tiberium et Heraclium, populi orientales magnis vocibus postulabant, ut hi duo fratres una cum primogenito pariter coronarentur: ut sicuti crederent in Sanctissimam Trinitatem, ita et a principibus tribus regerentur. Pia quidem petitio; sauciavit tamen valde Constantini animum et ad invidiam pertraxit, adeo ut fratres naso truncaret et postea neci daret. Celebravimus hactenus solemnitates divinarum Personarum separatim ab adventu usque in hodiernum diem: et per adventum quidem supplicavimus Deo Patri, ut mitteret nobis Filium: eo misso, a natalitio ejus die celebravimus festa Filii usque ad ascensionem ejus: digressa a nobis Filio celebravimus elapsa septimana solemnitatem Spiritus sancti: hodie incipimus simul et unitim trium Personarum unionem in essentia, adeoque Deum unum et trinum una solemnitate celebrare, ut sicut in cœlo regnat inter beatos; ita et in terris regnet inter nos. O regnum acceptabile! O Regem desiderabilem! O amabile Sanctissimæ Trinitatis imperium! Quare accedamus ad hunc regem nostrum et rogemus eum, ut ipse imperare nobis velit. Quod ut faciat, videndum ut ex parte nostra deferamus ei debitum honorem, subjectionem et obsequia, propter causas quas dicemus.

I. Quia a Sanctissima Trinitate creati sumus, et quidem ad ipsius imaginem. Indicat id sacer textus: *In principio creavit Deus* (Hebr. *Elohim*, hoc est *Dii*, ob pluralitatem Personarum) *cœlum et terram: et Spiritus Dei ferebatur super aquas.*

In principio Filius, in Deo Pater, in Spiritu Dei indicatur Spiritus sanctus. Insinuavit idem Deus, quando dixit: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Quem immodum vero artifices solent suis operibus artefactis communiter imprimere nomen aut symbolum suum, uti fusores, pictores, sculptores, ensium et cultorum fabri, alique; ita Deus homini insculpsit suam imaginem, longe magis indelebilem, quam insculpsit Phidias ille nomen suum clypeo Minervæ (e quo nisi fracto clypeo eximi non poterat) ut sui auctoris memor eique gratus et subjectus esset. Consistit vero ea in tribus animæ intellectualis potentiis, memoria, intellectu, voluntate. Memoria receptaculum specierum quasi infinitarum, Patrem: intellectus, in quo sapientia consistit, Filium: voluntas, in quo amor Spiritum sanctum denotat, Neque solum nos, sed etiam nostri causa mundum hunc creavit mira Patris potentia, Filii sapientia, Spiritus sancti bonitas.

Ad hæc quæ creavit nos, eadem in baptismo, quo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti abluti sumus, etiam recreavit, et in filios adoptavit, fulgentissimaque gratiæ veste exornavit. Ibi enim tota SS. Trinitas, quemadmodum in baptismo Christi præsentem sensibiliter se exhibuit, ita nobis insensibiliter adfuit; et Pater quidem nos in filios, Filium in fratres, Spiritus sanctus in sponsas suscepit, gratiæque veste condecoravit. Quando S. Otho episcopus Bambergensis in Pomeraniam profectus, gentem illam ad fidem perduxit, et baptismo tingere cepit, viderunt ipsi cives primo, deinde etiam episcopus: « Jucundum sane spectaculum: in vultibus baptizatorum omnium videlicet, quemdam jucundum, et spiritualis gratiæ rutilare fulgorem, ita ut baptizati a non baptizatis, velut lux a tenebris facile discerni possent: quidve tenebrosus dæmon suis cultoribus et quid Deus lucis auctore et amator suis dilectoribus conferre habeat, omnibus intueri promptum fuit. » Unde maximus ad baptismum populi accursus fuit: qui prius diu tergiversatus erat, ut est in vita S. Othonis, 2. julii.

II. Quia ab eadem conservamur et sustentamur, non secus ac folia a sua arbore, radii a sole; neque solum nos, sed et orbis terræ, in quâ degimus, universis. Hinc Isaias, cap. LX. ait: *Quis appendit tribus digitis molem* (Hebr. *pulverem*) *terræ?* q. d. sicut institor bilance librat aureos, et retinet uno aut tribus digitis, versatque prout vult: ita Deus orbem terræ ve-

lut pulverem unum retinet tribus illis digitis Patris potentia, Filii sapientia, Spiritus sancti bonitate: *Sunt his tres digiti*, inquit glossa, *potestas Trinitatis.* Item Christus Dominus ostendit Sancto Annoni, archiepiscopo Coloniensi, quando: « Radiantibus oculis, inquit Sigebertus, in ejus vita, c. XVIII. in ora stupentis comem, se ac placidum ingerens, protensis coram eo tribus sinistrae manus digitis, primum eorum dextro tetigit indice, dicens: Ecce Pater, moxque secundum: Ecce Filius, post hæc et tertium: Ecce Spiritus. Et vocem intra fauces paululum cohibens: Ecce tres, ait, in una deitate similiter adorandæ Personæ, quibus gloria par dicitur ab universali semper Ecclesia. » Considerate hic auditores, divinam majestatem et in nos miseros supremam potestatem, qua nos in medio aere quasi capillo apprehensos tenet tribus digitis, quos deducat, mox in nihilum recidemus; utinam non multi in damnationis barathrum! Quantum blandiremur et quid non sponderemus ei, qui ex turripendulos in fune retineret, ut ne cadere permitteret! Et quomodo huic misero auderemus insultare? Quomodo nos apponere? Jam non miror illud D. Hieronymi, seu potius Didymi dictum, lib. III. de Spiritu sancto: *Nulla venia conceditur in Trinitatem blasphemantibus.* Quid enim hoc aliud nisi in ipsum remissionis principium delinquere adeoque truncare manum, a qua quis suspensus tenetur? Succidere ramum, in quo ipse successor pedem figit? Certe cynocephalus, quia ejus complexio et valetudo e luna pendet, eaque crescente proficit, decrescente deficit; quando luna in novilunio se abscondit, et ipse viribus destruitur, cibum respuit, demisso in terram vultu moeret: aciemque oculorum perdit. Quid igitur agat miser? Erectus in anteriores pedes in speciem precabundi numen suum, lunam, adorat; quasi supplex rogans ut suo reversa lumine vires ei restituat; sicque cum renovata luna renovat recipitque vires suas. Refert Horus Apollo, hierogl. XIV. alique. Quid nos ratione utentes homines? Nonne a SS. Trinitate toti dependimus? Quid si Patris potentia vires corporis nobis subtrahat et volutari in strato ægros sinat? Quid si Filii sapientia rationis usum auferat? Quam miserum animal est homo ratione destitutus? Quid si Spiritus sancti bonitas sustentationem, cibum, et potum aliaque necessaria? Quæ lamentatio? Qui clamor deficiente pane aliisque vitæ necessitatibus?

III. Quia ab ejus influxu Trinitas potentiarum nostrarum, intellectus scilicet, memoriæ et voluntatis post naturæ lapsum depravata reformari debet. Memoria post lapsum illum beneficia nobis collata in aquam scribit et oblivisci-

tur: injurias vero illatas in æs incidit et altamente reponit animoque versat: quæ sibi debentur, meminit: quæ Deo et alijs debet, oblivione sepelit: quæ utilia et salutaria dieuntur in concione et piis colloquijs aut libris neglectui habet: quæ curiosa, ludicra et inutilia sunt, observat: instar cribri, in qua paleæ remanent, triticum perfluit. Intellectus noster aliorum defectus, et peccata acute videt, in propria cæcus est: ad terrena lynx est, ad cœlestia talpa. Voluntas nostra ad ea, quæ prohibita et mala sunt, prompta et expedita est: ad virtutes languida: terrena ei sapiunt, cœlestia desipiunt. Eget igitur hæc Trinitas nostra reformatore aliquo, qui perpetuo eam corrigat et concupiscentiis depravatam renovet. Hic vero quis alius nisi divina illa Trinitas, a qua et ad ejus imaginem nostra efformata est? Pater ut ex memoria deleat species rerum vanarum, turpium, illicitarum, injuriarum; inserat species rerum divinarum, piarum, honestarum, beneficiorum a Deo aliisque perceptorum, ipsius Dei et cœlestis beatitudinis. Filius ut in propriam conscientiam magis, quam in alienam perspicax sit; cœlestia potius quam terrena intelligat, de Deo quam de rebus creatis cogitet. Spiritus sanctus ut languorem voluntatis nostræ ad virtutem stimulet, quo cœlestia sapiat, amet et ambiat, terrena vero despiciat. Rursum reformabimus memoriam, occupando eam in recordatione beneficiorum a Deo acceptorum, Dei ubique præsentis et omnia nostra insipientis: intellectum, occupando eum in meditatione vitæ Christi, lectione piorum librorum, auditione verbi divini, conversatione cum patre spirituali: voluntatem, considerando amorem Dei erga nos, nostram ingratitudinem, bonorum cœlestium nobis promissorum excellentiam, terrenorum vilitatem. Augustinus, lib. XV. de Trinitate, c. XXIX. omnia paucis complexus sic precatur: *Meminerim tui Domine, intelligam te diligam te.*

V. Quia in nobis inhabitat velut in templo suo, si tamen justus sumus. Ita enim Christus, Joan. XIV. ait: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus;* una videlicet cum Spiritu sancto, qui et ipse inseparabilis est a Patre et Filio. Manet autem non sicut imperator, v. g. in hospicio publico, ad quod divertit ex itinere: sed sicut in domo amici, ad quam divertit, ut effundat ibi gratias suas, conversetur et delicietur. Hæc ratione et in hujus rei figuram misit tres angelos ad Abraham, ut hospicio ejus uterentur et filium ei promitterent ex senili et sterili uxore, Génes. XVIII. visse autem tres illos angelos typum SS. Trinitatis, id colligitur, quia illos velut unum ado-

ravit et affatus est : *Domine, si inveni gratiam, etc.* ut cum Ecclesia, (quæ canit : *Tres vidit et unum adoravit*) sentit Ambrosius, Eusebius, Cyrillus. Quare sicut Abraham maximo studio et sollicitudine servit hospitibus illis, apparavit prandium, lavit eorum pedes : ita cogitandum nobis sollicitate, quos honores, quæ obsequia debeamus exhibere supremæ illi majestati SS. Trinitatis, ut in nos velut amicos suos effundere gratias suas dignetur. Unde apostolus, 1. Cor. VI. monet : *Glorificate et portate Deum in corpore vestro.* Quando vir honestus et dignitate conspicuus domum nostram ingreditur, auferimus e medio, quidquid indecorum videtur, et oculos ejus offendere potest. Quanta ergo sollicitudine tollendum est e corde nostro omne peccatum, quod solum et gravissime Deum offendit? Sane Zacchæus quando in domo sua vidit se habere Christum, hospitem tam sanctum et cælestem, mox iniquum mammona ab oculis averruncare et restituere aliena satagit, Luc. XIX. Idem nos faciamus : non hæreat in nobis vel ad unum diem, non modo grave, sed nec leve peccatum, quod non mox pellamus per displicentiam et contritionem : e contra paremus ei exemplo Zachari gratissimum convivium e piis operibus : mane quasi prandium, invocando ejus opem : vesperi quasi cœnam, gratias agendo.

V. Quia ad vitæ nostræ cursum in cœlum dirigendum maximopere ipsius SS. Trinitatis directione indigemus. Æsopus, ut ferunt, solus incedens cum interrogaretur ab apparitoribus, quo iret, respondit : *Nescire se.* Magistratus id responsum pro derisione habens et inique ferens, in vincula eum coniecit. Quare Æsopus : *Jam bene igitur nescire me disceram, quo ire; nesciebam enim quod in carcerem iturus essem.* Idem quoque nos omnes dicere possumus in cunctis viis nostris, quia : *Incertæ providentiæ nostræ,* Sap. IX. Unde Sapiens, Prov. XX. *A Domino diriguntur gressus viri,* ait. *Quis autem hominum intelligere potest viam suam?* Quod si de rebus aliis vere dici potest, multo magis de viis, quæ ad Deum dirigunt. In his enim tribus indigemus mediis viribus, ut possimus ; sapientia, ut sciamus ; promptitudine, ut velimus. Opera ergo SS. Trinitatis ad hoc nobis opus est : Patris potentia, ut possimus vincere difficultates : Filii sapientia, ut cognoscamus finem, et intelligamus viam et eligere possimus media : Spiritus sancti bonitate, ut aliciamur et propellamur ad ambulandum et bene operandum. Veteres ingressuri viam, Herculi sacrificabant, teste Festo Pompeio, lib. XIV. Alex. ab. Alex. l. III. cap. XXII. quo nimirum viæ eorum dirigerentur ab eo, qui plurima confecit itinera, et quem, ne corruerent aut læderentur, sibi suis viribus au-

xilio futurum credebant. Habeant illi Herculem suum : noster viæ ductor est Sanctissima Trias, quæ nos potentissime defendere Patris potentia; certissime dirigere Filii sapientia; suavissime impellere Spiritus sancti bonitate et amore potest. Unde bene Ecclesiasticus, cap. XI. ait : *Sapientia, et disciplina, et scientia legis apud Deum. Dilectio et via bonorum apud ipsum :* et Ps. CVII. *Apud Dominum gressus hominis dirigentur, et viam ejus volet.* Quia etiam ipsa voluntas bona ad ambulandum in Dei lege, Dei donum est. Et vide Deum auxiliantem : *Cum ceciderit, non collidetur,* subdit, *quia Dominus supponit manum suam.* Hanc suppositionem opera ut brachium, manus et digiti. Brachium, Deum Patrem, manus Filium, digiti Spiritum sanctum representant. Hic est noster Hercules, hunc invocemus. De Sancto Benedicto in solitudine degente scribit B. Petrus Damiani, serm. VIII. in vigilia Sancti Benedicti : « Tres corvi per omnem viam individui sibi comites fuerunt, ejus assidue vestigia prosequentes : hodieque in silva, quæ venerabili monasterio Cassini montis adjacet, duo, sive ut ferunt, tres corvi annua semper revolutione nidificant, quos ab illis antiqui temporis corvis nonnulli prodire per traducem seminis asseverant. Et revera quotidie monasterii foribus advolant, crocitant et alas ac rostra pudentes, solitam escam, velut debitum census ex vetustæ possessionis jure deponunt. » Sic ille. Non dubito S. Benedictum in his tribus avibus contemplatum esse SS. Trinitatem, viarum suarum ducem comitemque. Cogitemus idem et nos, atque ut SS. Triadi gratos nos exhibeamus, singulis diebus pensum orationis alicujus ei deferamus.

VI. Quia cives cœli sumus, ubi una cum ss. angelis SS. Trinitatem perpetuo laudabimus una voce cantantes : *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus,* Isa. VI. Cum enim singula Dei opera in illa contemplabimur ; in singulis aspectibus novo gaudio perfundemur et prorumpemus in admirationem et laudem illam Dei : *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* et hoc sine fastidio defatigatione, novo semper gustu per omnem æternitatem. Qui igitur angelorum cives futuros nos speramus, eorum linguam hic addiscere nos oportet. Quare Ecclesia docuit nos, quoties signo crucis frontem pingimus, toties simul commemorare id mysterium. Simillimam Triadis doxologiam Deo decantare docuit monuitque puer in sublime raptus tempore Theodosii junioris, contra terræ motum Constantinopoli grassantem, ut alibi dictum. Eandem Leo VI. imp. militibus suis quotidie recitandam indixit. Insignavit hoc idem Deus in v. t. quamquam obscure, quando cum Abrahamo fœdus iniens ei præcepit : *Sume tibi vascam triennem, et capram*

triam et arietem annorum trium, ad sacrificandum scilicet, Gen. XV. Ad quid hæc animalia e triplici quadrupedum genere, et trium annorum singula præcipiuntur sacrificanda? Nonne typum Trinitatis insinuant Abrahamo? Rursum Levit. VI. § XV. præcipitur, ut sacrificium de farre sit pugillus similæ conspersæ, oleo, thurisque superposito. Ubi similia primam Trinitatis Personam, oleum secundam, thus tertiam, non obscure indicat. Anna quoque mater Samuelis in tribus vitulis et tribus modis farinæ obtulit Deo filium suum, 1. Reg. 1. ut videlicet una cum filio munera sua Deo offerret. Ipsi denique magi gentiles tria Christo nato attulerunt munera. Videntur ergo omnia Trinitatem colere velle ; quia omnes esse beati cupiunt. Ergo si inter beatos et ss. angelos esse aliquando volumus, laudemus et veneremur hic cum illis SS. Trinitatem quam venerantur ipsi in cœlis.

CONCIO II.

OMNIA NOSTRA OPERA IN NOMINE SS. TRINITATIS SALUBRITER PERAGENDA.

I. Ut monstremus nos esse servos Dei trini. — II. Ut sciamus opera sine ipsa perfici non posse. — III. Ut opera Deo digna peragamus. — IV. Ut sciamus opera nostra ad ipsam dirigenda. — V. Ut SS. Triadi nos conformemus.

THEMA.

Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Matth. XXVIII.

Anno 1601. Clemens papa octavus retulit in sanctorum album virginem Deo sacram ex ordine S. Dominici, nomine Agnetem de Montepolitano ex Hetruria Italiæ. Huic apparuit aliquando Deipara Virgo, tres ei pulcherrimos lapillos porrigens ac dicens : *Scito filia te sacras mihi ædes excitaturum : quocirca hos tres lapillos cape et effice, ut quævis tua ædificatio constantissimæ fidei individuae Trinitatis fundamento nitatur.* Ita Lipelous, 20. april. ex bulla Clementis VIII. Videtur hoc Deiparæ monitum spectare etiam ad nos, auditores ; saltem aliqua ex parte. Templum Dei sumus nos, sæpius attestante apostolo, uti 1. Corinth. III. *Nescitis quia templum Dei estis? ædificati in baptismo supra fundamentum SS. Trinitatis, in cujus nomine baptizati et sanctificati sumus.* Verum adhuc superest perfectio hujus templi, ornatus bonorum operum et virtutum, a nobis adjungendus, ut docet S. Basilus, homil. X. in hexam. (*Per imaginem animæ impressam meæ, inquit, obtinui rationis usum; verum Christianus utique similis efficior Deo*) quo nimirum mereamur imaginem gloriæ ejus recipere in fine. Quemadmodum ergo in tribus pul-

cherrimis lapillis, Patre, Filio et Spiritu sancto velut in fundamento extructi sumus : ita eorum opera et auxilio perficiendi et bonis operibus exornandi sumus. Vidit hoc sancta mater nostra Ecclesia, quæ omnes suas preces, horas, missas, conciones, sacramentorum administrationes inchoat ab invocatione SS. Triadis. Decet igitur ut matrem imitentur in hoc filii ; idque ob plures causas.

I. Ut monstremus quales simus structores et operarii, fideles scilicet et servi SS. Trinitatis. Hebræi ut se veri Dei cultores ostenderent, appellabant ipsum Deum Abraham, Isaac et Jacob, uti docuit eos Dominus ; et fecit Daniel, cap. III. vers. XXXV. Hos enim ipsorum patres Dei veri cultum habuisse eique gratos fuisse ostendit ipse Deus, qui se Deum trium illorum fidelium servorum suorum voluit nominari. Nos vero Christiani, ut veri Dei trini et unius cultores, a Judæis æque ac gentilibus distinctos, per invocationem SS. Trinitatis non esse demonstramus. Etenim : « SS. Trinitatis mysterium, ut ait S. Basilus adversus Eunomium, Christianorum et religionis nostræ maxime proprium dogma est, per quod distinguimur a gentilibus et Judæis : cum hi unicum Deum agnoscant in Persona unica ; illi plures deos naturis ac Personis. » Servi Turcarum empti vel capti stigmatibus, quæ minorum symbolum indicent, notantur, ne ab ipsis facile profugiant : nos ut Dei veri servi ab omnibus agnoscamur, SS. Trinitatis velut Dei ac Domini nostri symbolum fronti nostræ inscribimus et operibus nostris præmittimus. Scimus enim opera infidelium Deo grata non esse. Confitemur ergo nos a Deo creatos, redemptos et sanctificatos esse : Patri creationem, Filio redemptionem, Spiritui sancto sanctificationem nostram attribuimus. Quia vero Deus exosa etiam habet opera peccatorum : idcirco ad initium cujuscumque operis salubriter invocamus Sanctissimam Trinitatem, ut nos etiam servos ad omnem ejus voluntatem paratos et peccati hostes esse protestemur. In Concilio Nicæno pro tessera Christianorum instituta fuerunt litteræ, quæ *formata* appellabantur, cum inscriptione quatuor litterarum, quæ in Græce idiomate sunt initiales nominum quibus vocantur, Pater, Filius et Spiritus sanctus. Absque isthac tessera non recipiebantur pro Christianis, ut patet ex cardinale Baronio, anno 325. Quare ut opera nostra Deo accepta fiant, decet ea consignare tessera fidei, invocatione Sanctissimæ Triadis. Qua re etiam monemur ut ne aliquid indignum Deo nostro admittamus. Sic templa cruce insigniuntur, ut sacra esse sciantur profanis rebus interdicta.

II. Ut sciamus opera nostra sine ipsa perfici

non posse. In omni enim opere tria requirunt: scilicet ut possimus, sciamus et velimus operari: quemadmodum ad opera manualia tria concurrunt, brachium, manus et digiti: brachium a quo manus et digiti prodeunt, Deum Patrem notat ut Tertullianus, in prax. cap. III. notat: manus, a qua digiti, Filium; digiti, qui e manu simul et brachio, Spiritum sanctum, ut advertit Ambrosius, lib. III. de Spiritu sancto, cap. VI. Ergo ad operandum requiruntur primo vires, ut possimus. His caruit Miphiboseth, qui cum vellet sequi Davidem, vires non habuit, utpote claudus, II. Reg. XIX.

Secundo, prudentia ut sciamus. Hac caruit Samson dum secretum aperuit mulieri. Tertio, voluntas, qua caruit Salomon, dum sciret quidem abstinendum a mulieribus alienigenis, noluit tamen. Pilatus poterat Christum absolvere, et norat ejus innocentiam, itaque potestatem et scientiam habuit, robor tamen voluntatis non habuit. Potentiam Patri, sapientiam Filio, voluntatis motum Spiritui sancto appropriamus. Jam ergo quia opera quaedam difficilia sunt, indigemus potentia. Quam difficile erat Judithæ, utpote mulieri, Holofernem ducem strenuum plectere capite! Idcirco priusquam id faceret, oravit: *Confirma me Domine Deus Israel, et respice in hac hora ad opera manuum mearum, ut hoc, quod credens pro te fieri posse, cogitavi, perficiam*, Judith XIII. Deinde, egemus sapientia, ut agendo non erremus. Hac qui: *Indiget, postulet a Deo*, inquit Sanctus Jacobus, cap. 1. Indiguit certe Salomon ad gubernandum populum, et discernendum verum a falso, petiitque, III. Reg. III. necnon Sapient. IX. *Da mihi sedium tuarum assistentem sapientiam*; eamque impetravit a Deo. Indigemus denique pectore et cordata voluntate, ut ne terreamur. Difficile est præbere collum carnifici pro fide Christi amputandum. Ad hoc vero agendum roboravit commemoratione Sanctissimæ Trinitatis filium adhuc puerum Sancta Dionysia, nobilis matrona in Africa, quæ a Wandalis Arianis ad martyrium ducta, cum videret filium timere inter carnifices, eum nutu oculorum primum, deinde voce sic animavit: « Memento fili mi, nos in nomine Trinitatis baptizatos in matre catholica: non perdamus indumentum salutis nostræ, ne veniens invitator vestem non inveniat nuptialem, et dicat ministris: Mittite in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium. » Sic confirmatus filius velociter martyr effectus est, Vict. Utic. in persecut. Wandal. lib. III.

III. Ut sciamus opera nostra, quæ facturi sumus, talia esse debere: ut sint digna Deo, digna luce et aspectu, non solum hominum, sed etiam Sanctissimæ Trinitatis: *Qui facit veritatem*

inquit Dominus, Joan. III. *venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta*. Veritatem intellige practicam, seu id, quod rectum et justum est, quodque Deo placet, ejusque conspectu dignum est. Hoc ut fiat, prodest inchoare opera omnia in nomine Sanctissimæ Triadis, ut sic in Deo, hoc est, velut in conspectu Dei fiant. Livio Druso architectus quidam ædes structuræ respiciebat, in quas ex nulla alia domo esset prospectus: *At potius, inquit ille, ædifica mihi domum si potes, in qua quidquid agam, uni-versus populus Romanus videre possit*, Ludovicus Vivès, de christ. fem. lib. II. Similiter Acaeius Berrhææ in Syria episcopus ædes suas somni, cibi et quovis alio tempore omnibus patere voluit, ut cum plures spectatores haberet, nihil nisi quod honestum esset et pium vel ageret, vel meditaretur, veritus semper ex improvviso adventantium turbam, Nicephorus, lib. XII. cap. XLVII. Hunc in modum opera nostra in nomine Sanctissimæ Trinitatis recte inchoantur, ut sic tamquam in conspectu summæ majestatis, et in Deo Patre, Filio et Spiritu sancto, fiant, velut opera lucis. Cogitemus ergo cum quid facere molimur, nos in aperta domo seu in publico versari sive comedamus, sive eamus cubitum, sive aliud quid agamus: siquidem spectatorem et arbitrum actionum nostrarum invitavimus Deum trinum. Gemma Jonæ nascitur *triophthalmos* dicta, quod tres hominis oculos exprimat, Plin. lib. XXXVII. cap. XI. Talis est Sancta Trinitas, trioctularis scilicet, seu ut Divus Gregorius Nazianzenus appellat, lumen unum in triplici face. Triplici illo oculo contemplatur opera nostra; jure ergo merito cauti et attentissimi in omni nostra actione esse debemus.

IV. Ut sciamus actiones nostras ad Sanctissimam Trinitatem, velut ad fontem et originem earum aliarumque rerum omnium esse dirigendas: *Quoniam*, ut ait apostolus ad Roman. XI. *ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia*. Ex ipso intellige ex Patre, a quo velut primo principio omnia promanant: per ipsum, intellige per Filium, per cujus sapientiam omnia facta sunt, et fiunt: in ipso intellige in Spiritu sancto, in quo velut in amore Patris et Filii, et quasi in fine omnia terminantur. Opera nostra rursum fiunt ex Deo, velut a causa excitante: per Deum velut a causa comitante et cooperante: in Deo velut in finem et scopum. Insidiatur dæmon operibus nostris, ut ea sibi rapiat, aut perdat per inanem gloriam, aliosque terrenos fines. Præveniendus est igitur; quod fiet, si opera nostra inchoemus a Sanctissima Trinitate, ipsique transcribamur velut fonti, unde promanant; quemadmodum et Christus omnia sua opera retulit ad Patrem. Cujus rei typum os-

tendit Aaron, qui sacrificaturus jussus est a Deo gestare in frontem laminam auream eique inscribere: *Sanctum Domino*, Exod. XXVIII. In Hebr. est nomen tetragrammaton, quod mysterium Trinitatis non obscure continet cum essentiæ unitate in quatuor illis litteris. Igitur in fronte seu initio cujuscumque operis pii Sanctissimam Trinitatem pingendam et invocandam movet aurea illa lamina, ut sit Sanctum Deo et Sanctissimæ Trinitati. Eo tendit Sanctus Paulus, cum 1. Corinth. X. ait: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Contraponit enim Christianos gentilibus, qui vinum et escas suas prius idolis immolabant, postea ex mensa idoli ad mensas suas transferebant, et ad ejus honorem sumebant; vultque ut contra Christiani cibos suos Deo vero quasi immolent, sumendo eos ad gloriam ejus; idemque faciant in aliis operibus. Unde olim moris fuit apud Christianos, ut initio operis se signarent more adhuc recepto, quasi dicant: Hoc opus fiat ad gloriam Dei in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut indicat Tertullianus, lib. de corona milit. et Sanctus Hieronymus, ad Eustochium. Quod etiam in plerisque sacris functionibus facit Ecclesia, inchoans et finiens orationes, sacra, conciones, sacramentorum administrationes, nomine Trinitatis, ut in gloriam Dei fiant, et hostis humani generis nihil inde delibet. Si gentilis prior immolasset cibum idolo, nihil inde gustabat Christianus; et vicissim, si Christianus benedixit mensam, non edebat inde gentilis. Pari ratione si mox opera nostra immolemus SS. Triadi, nihil inde sibi rapiet diabolus.

V. Ut animæ nostræ Sanctissimam Trinitatem fortius imprimamus, eique nos conformemus. Hac enim de causa, ait Sanctus Ambrosius, lib. II. de Jacob. cap. IV. baptismum administrari in nomine Trinitatis ejusque invocatione, ut baptizati Sanctissimæ Triadi similes evadant; quo modo Jacob virgas triplicis speciei, populeas, amygdalinas, et plataninas, ex parte decorticas misit in aquam, de qua biberent oves, ut similes virgis illis fetus conciperent, Genes. XXX. Amygdalina virga Patrem, principium reliquarum Personarum, indicat, quia amygdalus prima omnium arborum floret; populea, Filium, quia populus folia ex una parte alba, ex altera habet nigra; sicut Dei Filius ad naturam, quam ab æterno habuit divinam, assumpsit et humanam; platanina Spiritum sanctum, quia platanus præ omnibus arbor maxime umbrosa est; quod etiam tribuitur Spiritui sancto, Luc. II. *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Jacob igitur: *Pota-*

turis ovibus, ait Ambrosius, *virgam styracinam, et nucinam et de platano* (per primam intelligit Patrem, per secundam Filium, per tertiam Spiritum sanctum) *proponebat in canalibus, quo concupiscentes beatissimæ Trinitatis præfigurata mysteria haudquaquam decolores fetus piæ mentis conceptione formarent*. Bonæ oves, quæ bonorum partus operum, fidei sacræ non degeneres ediderunt. Ita Ambrosius loco citato, Aqua benedicta crebro nos aspergimus, ut recordemur baptismi nostri: sic etiam decet ut opera nostra inchoemus cum Sanctissimæ Trinitatis nomine et invocatione; quo sciamus in eo nomine nos baptizatos esse, ut ei quoad fieri potest, similes efficiamur, et talia opera edamus qualia ipsa demonstrat. Qualia vero illa? Primo, summa concordia inter tres Personas, licet inter se oppositas; quod enim una vult, et hoc altera: quod una ad extra facit, facit et altera.

Secundo, tres illæ Personæ ad intra proprias quidem habent operationes, ad extra vero communes, et simul omnes omnia operatur. Unde Joannis V. ait Christus: *Non potest Filius facere a se quidquam, nisi quod Patrem viderit facientem*. Quæcumque fecerit Pater, hæc et Filius similiter facit. Hunc in modum nos in privatis quidem pietatis exercitiis et vivendi modo proprium sequi gustum possumus: in publicis tamen accommodare nos communi piorum et sapientium modo deberemus, et vitare singularitatem, verbi gratia, cum aliis jejunare, orare, supplicatum vel ad templum ire, confiteri, communicare. Luciferum, non Deum, sectantur singulares; is enim cæteris angelis coram Deo assistentibus (Dan. VII.) solus aiebat: *Sedebo in monte testamenti, et similis ero Altissimo*. Isaia XVI. nolens cum aliis angelis bonis Deo se subijcere. Hinc Sanctus Augustinus, lib. XIX. de civit. cap. XII. bene dixit, superbum, dum consortem habere non vult, sed singularis esse cupit, perverse Deum imitari, quippe qui Deum non exprimat, cum ipse in essentia unus, et in Personis perfectissima concordia junctis trinus fit. Qui ergo Deo similis esse vult, nequaquam singularis, sed arcissima cum fratribus unione conjunctus sit, prout monet apostolus, ad Galat. III. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis: non est Judæus, neque Græcus: non est servus, neque liber: non est masculus, neque femina: omnes enim vos unum estis in Christo Jesu*.

GONCIO III.

QUÆ IN SANCTISSIMÆ TRINITATE IMITANDA CHRISTIANO.

- I. Inspectio sui ipsius. — II. Amor Dei jam Cogniti.
- III. Concordia animorum in diversis statibus

et conditionibus. — IV. Communicatio honorum.
— V. Zelus honoris uniti.

THEMA.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti,
Matth. XXVIII.

Sanctus Edmundus Anglus Cantuariensis archiepiscopus, cum Parisiis adolescens operam liberalibus artibus daret, et jam geometriam sociis suis prælegeret, circulis et figuris aliis mathematicis effingendis insudans, mater ejus sanctissima, nomine *Mabilia*, in somnis ejus apparuit ac quæsiuit, quid sibi vellent figuræ, quibus adeo intentus esset? Ille ubi respondit: Quod visum fuit, mater apprehensa manu ejus tres in ea circulos pinxit, Patrem et Filium, et Spiritum sanctum ordine eos appellans, addiditque: *Hæc deinceps figuris, fili me, intentus esto, omissis istis, quibus te occupas.* Tum ille matris vocem intelligens, mox ad theologiæ studium se transtulit. Ita habet ejus vita, apud Sur. 16. novembr. Videtur mihi hæc sancta mater non Filium tantum suum, sed omnes mundi sectatores pie redarguere. Quid enim illi faciunt aliud nisi circulos terræ pingere eamque inter se per circulos et districtus dividere, dimetiri et pro ea litigare? Quid agitis? inquit sancta hæc mater. Cur non potius studeatis tribus illis circulis Sanctissimæ Trinitatis, in quibus vera sapientia et omnis thesaurus latet? Bene est o *Mabilia*. Sed videris nos remittere ad difficile nimis studium, de quo ipse Sanctus Paulus in hod. epistola exclamat: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* Verum est auditores. Sciendum tamen studere non esse otiosi, sed impense laborare. Cortex frangendus est, si nucleum edere volumus. Hoc ergo nunc agamus.

I. Pater ab æterno seipsum cognoscens et quasi in speculo inspiciens, ac comprehendens suam divinam essentiam, format intra se conceptum et imaginem vivam sui ipsius, quæ est Filius: *Splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus*, (Hebr. 1.) et *imago ejus invisibilis* (ad Coloss. 1.) in qua imagine sibi immensum placet, ita ut ea sola beatus et contentus, nihil aliud requirat. Imitabimur in hoc Deum pro modulo nostro, si et ipsi consideremus et inspiciamus assidue, non alios, sed nos ipsos. Sic enim producemus et ipsi in nobis pulcherrimam imaginem contemptum nostri. Audiamus de hoc Sanctum Bernardum, libro II. de considerat ad Eugen. c. III. «A te tua consideratio incipiat; non solum autem, sed in te finiatur: quocumque vageris, ad te revocaveris eam cum salutis fructu: tu primus, tu ultimus tibi. Sume exem-

plum de summo omnium Patre, Verbum suum et emittente et retinente. Verbum tuum consideratio tua, sic procedat ut non recedat, sic progrediatur ut non egrediatur: sic exeat ut non deserat.» Insinuat enim Eugenio papæ, ut memor sit, quod ex paupere monacho sit factus summus pontifex, uti magis exprimit, cap. V. Deus simplex substantia est, nos compositi sumus ex anima et corpore. Videamus quid sumus secundum corpus, terra utique, quia ex terra. Unde Adam a terra rubra Adami nomen accepit; ut in ea velut in speculo seipsum contempleretur, quoties terram aspiceret. Quare ubi sui oblitus, Dei similitudinem appetere cœpit, audiit: *Terra es et in terram ibis*, q. d. Adam vocaris, et Adam es, et in Adam ibis. *Quid superbis terra cinis?* Eccl. X. Sic voluit Deus ut Moyses virgam manu gestaret, eaque omnia prodigia coram Pharaone patraret; ut memor esset se pastorem fuisse, et pastorali virga pecora egisse. Secutus hoc exemplum amicus r. c. cardinalis, qui agnum cum adjecto libro pro insignibus sibi elegit et præferre non erubuit, quod patre opillione natus esset, ut jam alibi retuli. Taceo Viligisum et Agathoclem, eadem dimissione celebres. Porro secundum animam videamus, non quales alii, sed quales nos simus, juxta id Joannis in epist. II. monitum: *Videte vosmetipsos, ne perdati, quæ operati estis.* Multi aspiciunt alios, et seipsos negligunt: unde fit ut steriles sint et inanes omni virtute. Moysi dixit Deus: *Mitte manum tuam in sinum tuum.* Quod ubi fecit Moyses, eduxit leprosam, Exod. IV. Sic nos, qui communiter persuademus nobis ipsis, habere nos manus nitidas et ab omni labe immunes; si eas mitteremus in sinum nostrum, sæpe educeremus oppido leprosas. Quatuor animalia, Ezech. 1. prorsum dumtaxat aspiciabant, ad suos nimirum gressus, non ad alienos: *Unumquodque ante faciem suam gradiebatur*, sine corporis conversione seu circumspectione ad alia: vel ante faciem suam, quia seipsa non alia adspiciabant: *Oculi sapientis in capite ejus, oculi stultorum in finibus terræ*, Prov. XVII.

II. Cognitionem illam et comprehensionem sui ipsius, per quam Filius gignitur, immediate sequitur amor inter Patrem et Filium: et hic amor Spiritus sanctus. Imitabimur et nos in hoc Sanctissimam Trinitatem, si postquam Deum cognovimus, etiam amemus. Qui enim Deum cognoscit, quomodo non amare potest? Spernit Deum, qui non æstimat: qui non æstimat, non cognoscit. Quod est adeps in carne, hoc est amor in homine. Sine adipe arida est caro, et insipidus homo sine amore. Hac de causa Deus adipem intestinum hostiarum immolatarum sibi

adoleri et incendi præcipit, Levit. III. et puniit morte filios Heli, qui adipem Deo immolari non permittebant, sed sibi rapiebant, 1. Reg. II. Adeps ille amorem significat, qui aspera quæque lenit et sapida ac grata facit. Hunc sibi Deus impendi vult. Sine hoc aridum et insipidum est, quidquid ipsi damus. Hinc munera Caini non placuerunt ei, quia solum erant e frugibus terræ: Abelis placuerunt, quia ex adipe erant; adeoque una cum munere amorem et cor suum dabat. Hoc est quod Prov. XIII. Deus petit: *Præbe mihi, filii mi, cor tuum.* Nec mirum, quia et ipse dedit nobis cor suum, Filium imprimis, qui sua morte nos a morte et dæmonis servitute eripuit, deinde Spiritum sanctum. Amor non vult nisi amore compensari. Cætera obsequia pecunia aliisque modis compensari possunt, ut si mihi pingas, cantes, labores; non est opus ut vicissim tibi pingam, cantem, laborem, sed contentus es pecunia: at qui amat, redamari vult. Si non esset inter Patrem et Filium mutuus amor, adeoque Spiritus sancti beatitudo et gaudium non esset, Deus non esset. Ita sine amore Dei nemo ei placere, nemo esse beatus potest. Denique, communicavit nobis etiam imaginem suam, et impressit memoriæ, intellectui, voluntati; fecit insuper nos supremos mundi dominos, omnia nobis subiecit et conservat usque hodie. Quis talem Dominum non amet? Parum erat, quod solum intestinorum adipem peteret Deus ex hostia. Et quid magnum exigit a nobis si amorem exigit, qui sic prior nos amavit?

III. Tametsi inter tres divinas Personas maxima est oppositio, utpote inter Patrem et Filium, inter utrumque et Spiritum sanctum, ita ut impossibile sit unius rationem alteri convenire; coeunt tamen in summam unitatem et identitatem essentiæ. Unde Christus ait: *Ego et Pater unum sumus.* Pater est origo, nec habet originem: Spiritus sanctus habet originem, nec est origo: Filius est origo et habet originem. Hunc in modum non licet genere, natione, statu, sexu, conditione, ætate, etc. diversissimi simus, in fide tamen et charitate unum esse debemus quemadmodum de primis Christianis ait Lucas, Actorum IV. *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una.* Erant inter illos variarum nationum homines, qui in die pentecostes conversi sunt, ex Judæis et gentilibus, Samaritanis, Græcis, Latinis, sibi prius infensissimis, omnes tamen in Christo unum erant; quia uno Spiritu sancto colligati. Et hoc petit a Patre Christus, Joan. XVII. *Ut sint unum sicut et nos*, inquit. Hujus rei figura fuerunt quatuor animalia currum evangelii trahentia apud Ezechielem, cap. 1. admodum dissimilia. Bos enim tardissimus est, aquila velocissima, leo ferocissimus, homo

natura mansuetissimus: omnia tamen pari contentione, concordia et pace currum trahebant. Duravit in Ecclesia diu summa illa unio, teste Tertulliano, apolog. XXXIX. ita ut gentiles dicerent de Christianis: *Ecce quomodo se amant! Quomodo pro se invicem mori parati sunt!* Unde tunc omnes fratres se appellabant. Et Sanctus Gregorius Nazianzenus, orat. II. de pace contra Arianos ait: «Non minus quam ipsa secum divinitas (nisi hoc nimis magnifice dictum videatur) inter nos (catholici) consentimus concordisque sumus, labiumque unum et vox una existimus: animo atque ore Patrem et Filium et Spiritum sanctum celebramus, idque de nobis prædicatur, quod vere in nobis sit Deus, eos, a quibus unitur, uniens.» Hac eadem Sanctissimæ Trinitatis unione instructi et armati in fidei confessione unanimes perstiterunt in tormentis tres illi martyres Persæ, Manuel, Sabel, Ismael, cum essent e Persia legati ad Julianum imp. apostatam missi ad sancendum fœdus. Cum enim initio honorifice habiti, postea ab impio imp. ad impia sacrificia invitati, renuisent iis participare, quod Christiani essent, ad carcerem et tormenta tracti sunt. Inter quos cum Manuel separatim vexaretur ac tentaretur, respondit imperatori: «Nescis quænam sit nobis sententia, cum simus unus uni colligati et unum omnes sentiamus? Aut ergo tres supera, aut a tribus recede. Est venerandus numerus ternarius quo nos sumus honorati. Sancta Trinitate nos tres sumus muniti, a qua nobis quoque adest, ut simus uniti et ut maneamus infracti. Quæ enim sunt unius, trium esse existima.» Ergo martyrio affectos, terra se ultro aperiens eodem tumulo recepit clausitque, ita in eorum actis, apud Sur. 17. junii. Hac ratione si modo Christiani inter se uniti forent, contra omnes hostes invicti forent.

IV. In tribus illis Personis summa est horum omnium communicatio, quanta nimirum possibilis est. Pater enim totam suam substantiam ac divinitatis thesaurum infinitum communicat Filio: rursum Pater et Filius Spiritui sancto, solis personalitatibus, ut quæ aliis communicari nequeunt, quæque illas ab invicem distinguunt, sibi retentis. Ad hæc Sanctissima Trinitas homini etiam imaginem suam communicavit: dando ei memoriam, intellectum, voluntatem: ut dixi. Imitari nos hoc poterimus, si facultatem et bona nostra, quibus carere possumus; maxime ea, quæ dando non auferuntur nobis, ut sunt opera misericordiæ spiritualia, egentibus communicemus: quomodo nimirum Pater non solum amat Filium, sed etiam bonum suum omne ei communicat, et uterque Spiritui sancto. Non ergo corde solum sed et opere diligendus